translatio a metallis, que igne decoquuntur et examinantur. Et non est inventa in me iniquitas. hoc est quod alibi
dicit. Venit princeps huius mundi et in me non habet quicquam. Ut non loquatur os meum. Cassiodorus hic distinguit et de
inde infert. Opera hominum propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras. Iungit autem ita. Ego inquit custodivi
vias duras. que sunt vie dure. scilicet opera hominum. et hoc propter verba labiorum tuorum. Est vero sensus: ita me inquit igne
tribulationis affecisti. ut non loquatur os meum. id est tam evidens et manifesta fuit mea passio. ut non sit homini necesse
de ea loqui. Ego custodivi inquit vias duras. Vie dure fuerunt itinera passionis eius asperrima. flagella scilicet.
sputa. et alapatio. spinarum coronatio. postremo ipsum genus mortis durissimum. et probra quoque facta. Et quasi diffinien
do quid sint he vie dure. dicit opera hominum. ac si diceret. Talia homines. id est peccatores qui id factis suis meren
tur. pati debuerant. non ego qui de virgine natus sum. et immunis ab omni peccato. sic per Esaiam dicitur. Opus suum fecit. alienum opus
eius. Sed quare hoc feci inquit. propter verba labiorum tuorum. id est propter oracula prophetarum. Labia enim sunt dei prophete. quibus eo
inspirante hec de Christo ventura predixerunt. hoc secundum Cassiodorum. Beatus vero Augustinus ita distinguit. igne me inquit
examinasti. ut non loquatur os meum opera hominum. id est non adulatorie loquar. quasi diceret. Tantum et si igne passionis me
afflictum dico. Non propter hoc humanum favorem requiro. Neque est hoc opus meum sed hominum. qui etiam indignos suis favori
bus inviant. et laude dignos iudicant. Perfice gressus meos id est actiones meas et miracula quibus me clarere concedis
ad certum finem fac pervenire. Ut non moveantur vestigia mea. id est ut non vacillent et titubent in voce apostoli mei si vide
rint me non posse resurgere. Vestigia namque signa sunt pedum pulveri impressa. et in apostolis signa remanebant religio
nis Christi. Ego clamavi quoniam exaudisti me deus. Ordo fuerat ut diceret se ideo exauditum. quia clamaverat. Hic vero
e contrario. ideo dicit se clamare. quia exauditum noverat. quod ideo dicit. ut ostendat quam presens deus pater ad se audien
dum fuit. quod et in resurrectione Lazari ostendit dicens. Pater exaudi me in hac ora. Sciebam enim quia semper me au
dis. Inclina aurem tuam mihi. id est serenum et clementem mihi prebe auditum. Et est tractum a principibus ut regibus huius seculi.
qui in medio solio residentes. suggerentibus sibi famulis aurem inclinant. Mirifica. id est mirabiles fac misericordias tuas
quibus me fulgere virtutibus. et miraculis coruscare concedis. Mirifica eas inquit. id est ad effectum perduc. Tu fac
hoc qui salvos facis sperantes in te. Quis enim in te speravit et confusus est. nemo. A resistentibus dextere tue custodi
me. Dextera dei patris est Christus filius eius per quem omnia condidit. Orat ergo Christus custodiri se a resistentibus sibi a demo
nibus scilicet et Iuda. et ceteris menbris eius iudeis. qui demonico utique instinctu adversus Christum seviebant.
A Id est. dextera dei patris id est Christo filio eius conabatur diabolus resistere. qui si posset predestinationem redemptionis nostre
disturbare vellet. nequaquam adimplere posset. Ut pupillam oculi. Pupillam oculi vocamus nigrum medullium scilicet
illud in quo est pontificium visus. Que licet brevis sit. inter omnia tamen menbra excellet. et clariora habet.
quoniam ea album et nigrum discernimus. et varietates colorum diiudicamus. Unde non immerito per pupillam Christus
designatur. qui est caput et princeps omnium electorum menbrorum utique suorum. Custodiri ergo se sic pupillam oculi orat.
id est non sic electum quemlibet. sed velut unigenitum. et dilectum sibi filium. Sub umbra alarum tuarum protege me. Due
ale omnipotentis dei sunt. Caritas et misericordia eius quibus alis salvati sunt et redempti omnes electi. Nam genus humanum Christus
redemit pietate: salvavit misericordia. A facie. id est presentia. et mala instantia iudeorum qui me afflixerunt nimiis crucia
tibus. Inimici mei animam meam circumdederunt. id est demones vel iudei vallaverunt me. putantes se non posse decipere
et superare. Adipem suum concluserunt. Adeps est nimium pingue ventris. quod ex multa voracitate et gulositate e
crescit. obturans intestina et claudens ne cibum recipere possent. Sic et iudei corda ac sensus suos nimia
malitia obturaverunt et clauserunt. ne verbum dei admittere valerent. Os eorum locutum est superbiam. Quando di
cebant. non habemus regem nisi cesarem. et nonne hic est filius fabri. Nonne fratres eius apud nos sunt. Proicientes me. nunc
circumdederunt me. Proiecerunt enim eum quando extra civitatem ducentes illum in golgotha loco crucifixerunt. Pretorium
scilicet principes circumdedit vel plebs quando illum ad passionem euntem. multi comitati sunt. ut viderent spectacu
lum illud. Quibus et ipse dixit. Filie Hierusalem nolite flere super me: sed super vos ipsas flere et super filios vestros.
Oculos suos statuerunt declinare in terram. hoc solent facere crudeles. et nimium truces iudices. qui postquam de
aliquo votum suum impleverint et eum dampnatum habuerint. defigunt oculos in terram. ne illum ultra vide

License: CC-BY-NC – St. Gallen, Stiftsbibliothek, Cod. Sang. 312, p. 29 – Remigius of Auxerre, Expositio in psalmos
(http://www.e-codices.ch/fr/csg/0312/29)